DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS DROMGOLE,

HIBERNUS.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ROBERTUM ALLAN.

MDCCC.

VIRO BONO PROBOQUE,

WHITLEY STOKES, M. D.

COLLEGII SACRO-SANCTÆ

ET

INDIVIDUÆ TRINITATIS,

NECNON,

COLLEGII REGII MEDICORUM DUBLINIENSIS

SOCIO,

ET MEDICINÆ PRACTICÆ PROFESSORI,

HANC DISSERTATIONEM,

ANIMI GRATI SIGNUM,

D. D. D. C. Q.

THOMAS DROMGOLE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO.

[illegible]

C[illegible]

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
RHEUMATISMO.

T. DROMGOLE AUCTORE.

CAUSAS et naturam morborum, qui ad phlegmaſiarum ordinem referuntur, accurate perſcrutanti, eos inter homines, antiquiſſimis etiam temporibus, ſeſe oſtendiſſe, veriſimile apparebit. Obnoxii etenim ſunt validiores et robuſti, et tales primam terræ ſobolem fuiſſe, vetuſtas omnis teſtatur. Hominum porro primævorum occupationes, ſtudia, et vitæ genus omne, ut quæ corporis exercitium ſtrenuum, et ſæpe violentum exigebant, eos

A perpetuò

perpetuò expofuerunt hifce temperamenti vicibus, quas convenit, effe horum morborum caufas excitantes. Si igitur, mente volvamus, non aliter fieri poffe, quàm, quòd ii fefe undique obviàm afferebant, vix fatis mirari poffumus, quo cafu antiqui, quorum in obfervando fedulitas, et in defcribendo cura, et fides, fibi, magnas et meritas laudes, vindicaverunt, prætermififfe potuere ullum hujus ordinis morbum intactum, præcipue talem qualis eft rheumatifmus, tanti momenti, et tam frequenter recurrens. Iis autem certe objicienda eft hæc pærtermiffio; nam fi ullo in loco videantur, fymptoma aliquod rheumatifmo proprium et peculiare apte defignaffe, id ad podagram ab iis relatum invenie-mus; ex quibus luculenter apparet, morbum eorum temporibus reverâ extitiffe, at iis, ut diftinctum, incognitum fuiffe. Quicquid itaque contra moliatur præjudicium antiquitatis ftudiofum, re accurate perpenfâ, SYDENHAMUS, in morbo hoc defcribendo, fi ad accuratam juftamque difcriminationem fpectemus, primos honores facile obtinebit. Omnibus denique notum eft BOERHAAVIUM celeberrimum,

rimum, quo forsan, sui temporis, vix ullus eruditior, aut in antiquorum scriptis versatior, nullam de hoc priùs, in aphorismis suis mentionem fecisse, quam morbo correptus, edoctior ægritudine, doloribusque factus fuisset. Si quid de eo in medicinæ annalibus, relatum fuisset, num ignorâsset BOERHAAVIUS? At ipse fatetur se ibi nil tale invenisse. Quid plura? Si quis adhuc nihilominus hæreat, ad relegendos accuratiùs antiquos eum dimittam, et ego ad rem, mihi legibus hujus almæ Academiæ impositam, pertractandam, quomodocunque id facere potero, pergam.

Plagas terræ septentrionales rheumatismus potissimum vexat; et in hisce, quas habitamus, insulis, ob cœli tempestatumque mutationes fere perpetuas, quæ corpus variè afficiunt, perspirationisque suppressionem inducunt, per populos late vagatur. At etsi hæc loca ejus sub ditione maxime cadunt, non sunt omnino immunia quæ ad austros propiùs vergunt. Ibi etenim aëris temperies, multis a causis, variatur, et quotidianas quoque mutationes subit non parvas, et etsi hæ vicissitudines

ortum plerumque morbis ferocioribus præbere ſoleant, nonnunquam etiam rheumatiſmum producunt.

In inſula, cui nomen inditum eſt Nova Providentia, et quæ, a Zonæ Torridæ confiniis ſeptentrionalibus, duobus tantùm gradibus diſtat, mihi hoc contigit obſervare. Ibi etenim brevi commoratus, hujuſce morbi exemplum unum vel alterum vidi. In uno autem formam chronicam induerat, miſerque, qui eo laborabat, per plurimos annos, dolores graviſſimos perpeſſus eſt.

Morbus autumno et tempore vernali maxime apparet, mares fœminaſque laceſſit; utros vero magis inter auctores non bene convenit. Temperamentum autem ſanguineum et plenum, ætaſque inter pubertatem et vitæ ἀκμήν, ſexum utrumque opportuniorem reddere videntur.

Quoniam nec a meipſo depromere, neque e ſcriptis auctorum ſeligere poſſim, definitionem magis accuratam, quàm, in noſologia habet clariſſimus Cullenus, eam, ipſius etiam in verbis, hic citare non pudet.

" Morbus

"Morbus ab externa et plerumque evidente
"causa; pyrexia; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos, infestans, calore externo auctus."

Morbus nonnunquam incipit cursum, nullis cum signis, quæ suam naturam plane indicant; nisi quod febris, quæ hoc in casu oriatur, synocham plerumque æmulatur. Nam si morbus gravis sit evasurus sicut in ea, (nempe synocha), stadium frigidum satis asperum excipit calidum. Ictus arteriarum deveniunt frequentes, pleni, et ut plurimum, duri. Multum augetur corporis calor. Lingua arescit, et, morbo progrediente, eam albidus mucus obducit. Adest, haud rarò, cynanche, et symptomata nonnunquam comitantur aggravantque dyspnœa et tussis. Pariter etiam, ut in febri inflammatoria, ægri vires non sunt multum depressæ, turbatæve cerebri functiones.

Hoc modo, die uno, biduove, perseverat febris; quando symptomata, rheumatismum magis discriminantia

nantia, ſe produnt. Febrem vero aliquando dolor præcedit, aut ſimul utrique exoriuntur.

Quum autem primùm naſcuntur dolores, pars quædam corporis, potiſſimum aliqua e juncturis magnis, afficitur. Hic haud diu morantur, ſed ad alias tranſeunt corporis partes, fortaſſe remotas, aut inter articulos vicinos, nunc hunc, nunc illum cruciantes, verſantur. Brevì pòſt febris, ſymptomatis ſuis ſtipata, ſe comitem jungit, ægrumque miſerrimum, tempore uno eodemque, torquent cruciatus articulorum nefandi cum nauſea, ſiti, anxietate et aliis, quæ non minus vexant, etſi non tam dolorifice ſenſum afficiunt. Probe autem obſervatum eſt SYDENHAMO clar. quando morbus nunc aliquandiu permanſerit, doloribus ingraviſcentibus, febrem miteſcere ; et contrà, dolores minùs acutos evaſuros, febri reviviſcente.

Dolor nullam ſedem certam, ſtabilemque habet, at articulos magnos potiſſimum infeſtat, neque ſemper minores, utpote pedum, manuumque digitorum, intactos relinquit. Articulos autem ſigillatim laceſſere ſolet, at nonnunquam, vel plurimos ſimul

corripit

corripit, torquetque, et, si fides auctoribus, non hic sistit gradum, sed aliquando in organa etiam vitalia sævit, ærumnas diras, et lachrymabiles ciens. Tum exoriuntur, anxietas, dyspnœa quæ præfocationem minitatur, cordis palpitationes, cephalagia immanis, delirium, &c. sicut in hoc, vel illud organum, suum furorem convertit. At si sit æger evasurus, retrogrediente tandem dolore, correptis articulis, omnia symptomata hæcce, discrimen ultimum minitantia, recedunt.

Profecto, etsi inter medicos disputatum sit, num morbus hic unquam ad interna possit transferri, omnes in hoc sane consentiunt, eum tam late per corpus diffundi, ut sit in eo vix musculus ullus, qui, in casu uno vel altero, non sit affectus, aut saltem morbo non sit obnoxius.

Storkius celeberrimus testatur seipsum observâsse morbum, ab inguine ad testes translatum; et ibi, cruciatus immanes concitatos subsequebantur convulsiones, animi deliquum, et asphyxia fere mortifera. Uno autem in casu, ægrum, mirum in modum, affectum fuisse ait. Nam a pedum ma-

nuumque

nuumque juncturis, dolor, per corpus universum diffusus, musculos singulos adortus est; articuli omnes, maxillarum exceptis, tetano universali correpti, immobiles facti sunt: oculi tumescentes, et e capite penè extrusi, lachrymas copiosè fuderunt, quæ, genas superfluendo, eas etiam erodebant.

Lectuli calor, aliis in morbis, multum solatii secum affere solet; quin in hoc omnes aggravat dolores; qui etiam, nocte appetente, suam sedem apprime mutant, et febris, et cætera symptomata, pejora evadunt.

Sub forma ejus communi, rheumatismum, ab initio, comitantur sudores sponte exorti; qui ut sint neque tenues, nec copiosi, nec e parte dolenti effusi, vix unquam, aut crisin, aut levamen, inducunt.

Colorem rubrum, simul ac in febre ardente, refert urina, et in morbo recente, nullum deponit sedimentum; sed in progressu ejus, subinde copiosum, nunc albidum, nunc lateritium, quod, febris remissionem potius, quàm mali terminationem, significat.

nificat. Sanguis emissus crustam coriaceam ostendit: alvi profusio vix unquam occurrit, sæpe suppressio, et fluidæ secretiones omnes sunt, ut plurimùm, imminutæ.

Malum, hisce symptomatis plùs minùsve stipatum, progreditur; quando nunc, vasculis extremis, aut sponte, aut arte, passim laxatis, fit sudor copiosus, et per totum corpus diffusus. Tum quidem non adeo cursitant, auguntve dolores, et symptomata omnia mitescunt; donec tandem, sudore generali, tenuique jam biduum triduumve perstante, solvitur morbus. Non semper autem hoc modo finitur, nonnunquam vero, at certè rarissimè, ei finem imponunt hæmorrhagia, salivæ profluvium, aut, ut nonnulli volunt, eruptiones cutaneæ.

Rheumatismo acuto decedenti residui interdum sunt et sequelæ, partium quarundem dolores, qui minus vagi, neque febri comitati, neque calore externo adaucti, speciem morbi chronicam dictam constituunt. In specie hac porro, non rubent articuli, at fiunt persæpe circa eos tumores qui gibbosas et aliquando immobiles reddunt. Sin autem,

quod rarò accidit, ad inflammationem, et ſuppurationem abierint, ulcera fiunt quæ medicinæ vix cedunt, et quæ, ſi late repſerint, febrem hecticam lethalem poſſunt inferre.

Sectis cadaveribus hoc morbo peremptorum, in *ligamenta capſularia, burſaſque mucoſas* effuſa, aut inter muſculorum vaginas concreta, materia viſcida, et pellucida inventa eſt. In ſectione porro cadaverum, ſi quando tranſlatio facta fuiſſet, talis materia (ut perhibetur) ſe prodit, aut in cerebri ventriculis, aut inter *meninges*; vel ſi pulmonibus, eo metaſtaſi factâ, laboraſſet æger, in thorace collecta.

Haudquaquam parvi momenti eſt; neque in omnibus caſibus proclive, poſſe diſcrimem hunc morbum interponere, et alios, quibuſcum, propter ſymptomatum quandam ſimilitudinem, poteſt confundi; non aliter autem effugere queamus, quo minùs medendi ratione perverſâ uteremur, famæ non tantum noſtræ, ſed etiam, quod multo pejus eſt, ægrotantis vitæ, fortaſſe inimicâ.

Rheu-

Rheumatiſmum morbi qui propius accedunt ſunt ſyphilis (ut dicitur) confirmata, ſcorbutus, et podagra. Inter ea autem diſtinguitur, cauſis eorum, ſymptomatiſque peculiaribus, et comitantibus diligenter perpenſis.

Si æger ſe unquam veneno ſypihlitico expoſuiſſet, et adſunt nonnulla morbo huic peculiaria, tum quò ad diſcrimen, omnis ſtatim tollitur dubitatio: ſin contrà, ob perniciosum ægri pudorem, aut alias ob cauſas, aliquid dubii in hac re ineſt; tum aliâ viâ inſiſtentes, ægro etiam invito, veritatem expiſcare experiamur; notando nimirum num in gutture ulcuſcula adſint, aut ibi olim ſe prodidere, num eruptiones in cute, ab omnibus aliis ob faciem diſſimilem plane diſtinguendæ, apparent. Hæ vero per cutem corymbos æmulantes, hinc et inde congregantur, et ſæpe lentigini haud abſimiles maculæ ſubrubræ, aut potius colorem cupri referentes, ſunt ibi identidem indagandæ. Ad hæc addere liceat, quod in ſyphili oſſa, ad partes medias potius quam ad extremitates, et ex eis plana, et graciliora ſolent affici. Tibiæ acies anterior ob-

tuſa, et in ea, et aliàs in corpore, oſſium inæqualitates quæ exoſtoſes audiunt, nonnunquam ſunt obſervandæ: ut et glandularum conglobotarum tumores. Dolores præterea, qui, ſicut in rheumatiſmo acuto, ſunt aggravati calore, pyrexia non comitatur. Hæc ſunt ſymptomata præcipua quæ doloribus in ſyphili rheumaticos referentibus, ſecundum morbi progreſſum, plùs minùs accedunt; et quorum nonnulla ſimul convenientia, nos de ejus natura certiores reddent.

In ſcorbuto cauſæ remotæ, ſymptomata comitantia, habitus ægri, ſeſe tam obviàm ferunt, et tam maxime diſcrepant ab omnibus quæ in rheumatiſmo apparent, ut apud rei medicæ etiam imperitiſſimos vix eſt locus errandi. Quapropter, hic non neceſſarium videtur, aliquod, de re tam manifeſta, proferre.

Res autem non ſic ſe habent in arthritide, de qua igitur arctiùs dijudicare oportet: præcipue, quum quædam ex remediis, ſicut ſanguinis miſſio, quæ in rheumatiſmo adhiberi ſolent, ſi in illa uſurpentur, ſummâ injuriâ, ſi non eventu lethali, ſubminiſtrentur.

Poda-

Podagram igitur plerumque hæreditariam esse notandum est: et, si sit formâ regulari, paroxysmos in initio non admodum longos habere, eorumque intermissiones bene distinctas: post certa fere temporis spatia morbum recurrere: pedis pollicem, articulosque minores extremitatum ab eo potissimum vexari: et dyspepsiæ symptomata eam prægredi solere.

Podagra irregularis rheumatismum magis æmulatur, sed vix unquam apparet, quin olim impetus formæ magis regularis, præcesserat: et porro, hic certiùs discrimen statui potest, si paucis ex symptomatis supra dictis, dyspepticis præcipue, quæ interdum doloribus supervenientibus cedunt, stipata sit.

DE MORBI CAUSIS ET NATURA.

Rheumatismus frigori, corpori applicato, originem debet; sed ut talis effectus fiat, alia quædam auxiliari necesse est; calorem corporis nempe ultra modum adauctum; partem unam præ cæteris

paten-

patentem; aut frigus ipſum aliquamdiu applicatum.

Sed frigoris effectus ſunt varii. In corporis conditione igitur, aliquid peculiare ineſſe oportet, quod hanc, vel illam morbi ſpeciem neceſſariè inducit. Hoc, inter medicos, cauſa prædiſponens appellatur, et hæc, qualis ſit, variæque res quæ eam inducere poſſint, ab iis ſunt memorata; quæ, ſi adſint, illam aptitudinem præbent, ſine qua, aut nullus, aut formæ diverſæ, morbus exiſteret. Inter hæc recenſcentur temperamentum ſanguineum, habitus plenus, evacuationum ſolitarum ſuppreſſio, putà menſtruorum, fluxûs hæmorrhoidalis, &c. Debilitas, quæ ex hæmorrhagiis, vel arte, vel ſponte, inductis, aut ex hypercatharſi provenit; ſtimulantium, ſicut condimentorum acrium atque diaromatôn, liberalior uſus.

Inter has cauſas notare liceat, quod conditiones quidem diverſiſſimæ, et fere oppoſitæ, eidem morbo corpus obnoxium reddere creduntur: de his tamen, ut prædiſpoſitionem præbentibus, utpote ab auctoribus magni nominis citatis, dubitare

non

non possumus. Præcipuè quum ex observatione diuturna, atque accurata, cui non adversatur experientia magis generalis, provenire dicantur.

Quum autem, secundum eandem auctoritatem, hæ ipsæ corporis conditiones, alios morbos, et (ut perhibetur) diversos quoque procreant; nonne est, unde credamus, maximam similitudinem, si non *identitatem*, inter hos morbos, eosque inter et rheumatismum existere?

Sub conditionibus supra memoratis, dum interim adsunt debilitas, circuitusque sanguinis imminutus, frigus corpori applicatum catarrho ortum promptissimè præbet; et cum frigore juventas, temperamentumque sanguineum cynanchen, vel pneumoniam gignunt. Sed harum corporis conditionum diversarum singulæ quidem, ut ante dictum est, unà cum causa eadem excitante, rheumatismum inducunt.

In simili igitur corporis statu ex hisce morbis singuli originem habent, causâque communi excitantur; sed unde formas adeo diversas induant, (quanquam hoc posse fieri haud obscurum videtur)

tantum

tantum catènus explicari poteſt, quatènus intelligere poſſumus unde contagium idem ſpecificum, morbum, nunc mitem, nunc perquàm malignum, ſymptomatiſque lethiferis ſtipatum inducat; aut unde ſcrophula interdum in pulmonibus, interdum in oculis, glanduliſque diverſarum corporis partium, quas variè afficit, ſeſe manifeſtabit. Idem de multis aliis morbis obſervare liceat; quorum ſpecies, quantumvis diſſimiles, quoniam rebus non eſſentialibus varietatem debent, ad *genus commune* referuntur.

Quod cum ita ſit, cur non eandem *identitatem* aliis morbis ſubeſſe, qui æquè, (ut patet) ex cauſâ communi pendent, quanquam nulla manifeſta ſimilitudo, in eorum ſymptomatis appareat, ſimiliter judicemus?

Attamen, ſi ſymptomata diligenter conſideremus, et rationem habeamus partium organorumque affectorum, nos, vel in eorum phœnomenis manifeſtis, ſimilitudinem magnam inventuros, confido.

Hos

Hos morbos pyrexia æque comitatur, et hæc formam inflammatoriam induit. Cætera symptomata, in unoquoque, febris sæpe præcurrit, interdum sequitur, aut comitatur. Dolor topicus plerisque adhæret. Inflammatio partialis, atque exudatio ex partibus affectis, in omnibus, apparent. Hoc, in pneumonia, manifestum est; sectis enim cadaveribus hoc morbo peremptorum, videre licet pleuram materia viscidà obtectam, aut humorem serosum in thoracis cavitatem effusum. Effusio similis, in tumoribus rheumaticis, inventa est. Fluxum, e narium membrana, in catarrho augeri, cuivis quidem cognitum est, similemque effusionem, ex partibus cynanche correptis, fieri, nil est cur dubitemus; quanquam, ob humoris quantitatem, qui semper adest in ore, hoc minime pateat. Hi morbi rursum, eundem fere cursum sequuntur, cum sint ejusdem benignitatis; et si sponte terminentur, hoc fit plerumque, erumpente sudore.

Si præterea consideramus hosce morbos (ut passim videre licet) symptomata sua inter se commiscere, alium inducere alium, aut, conjunctis qua-

ſi paſſibus progredi, eorum connexio, (ſaltem ut mihi videtur), adeo arcta apparebit, ut eos unum tantum efficere morbum credere quadammodo cogemur.

Exempla non defuere, in quibus, rheumatiſmus, articulis primo occupatis, inde in thoracem tranſivit, ibique omnia pneumoniæ ſymptomata, tuſſim, dolorem, dyſpnœam, oppreſſionem præcordiorum magnam, &c. produxit. In talibus caſibus, ſi pulmones primo affecti fuiſſent, morbus, proculdubio, pneumoniæ nomen accepiſſet.

Dolores rheumaticos ſymptomata pneumoniæ, aut cynanches ſæpe catarrhum, et ſymptomata catarrhalia rheumatiſmum comitari, cognoſcimus. Idem de pneumonia dici poteſt, in qua, ſymptomata catarrhalia perpetuo adſunt. Cynanche decedenti nonnunquam ſuccedit rheumatiſmus acutus. Rei hujuſce exemplum, in noſocomio Edinenſi, nuperrime occurrit.

Ut ſupra allata porro confirmarem, ex accuratiſſimo, et jure optimo, celeberrimo Culleno, locum unum aut alterum mihi citare liceat. In

catarrhi

catarrhi deſcriptione, hæc habet verba—" The " cough occaſions pain, eſpecially about the breaſt; " ſometimes, together with theſe ſymptoms, " pains, reſembling thoſe of rheumatiſm, are felt " in ſeveral parts of the body."—Et paulo poſt, " Some degree of the Cynanche Tonſillaris often " accompanies catarrh."—Et iterum, " When a " catarrh has been occaſioned by a violent cauſe, " &c. it often paſſes into a pneumonic inflamma- " tion, attended with the utmoſt danger."—— Hæc apud Frankium legimus, " Vidimus poſt " peripneumonias hyemales, eaſque *rheumaticas*, " moderato morbi impetu, ac ſede inflammationis " ſublimiori loco aſcendente, cynanches ſucceſ- " ſiſſe."

Plura, ſi neceſſe ſit, adduci poſſint. Sed ex hiſce teſtimoniis, et ex ſupradictis, ſatis (ut opinor) conſtabit, ejuſdem cauſæ operationem, in eodem corpore, diverſam ſymptomatum ſeriem, ex quibus noſologi tot morbos effecerunt, producere poſſe: eorumque varietatem, naturæ loci affecti ſolum deberi. Nonne eſt æquum igitur concludere, eos,

naturâ gaudere communi? Nam quid inter morbos communem naturam efficit, nisi quòd ab eodem corporis statu pendent, et a rebus eisdem excitantur?

Hoc itaque concesso, causam proximam facile inveniemus, nam cum semel, de horum morborum *identitate*, conveniat, proxima causa unius, etiam cæterorum, et rheumatismi idcirco evadet. CULLENUS, in capite de Catarrho, dicit—"The "proximate cause of catarrh seems to be an in"creased afflux of fluids to the mucus membrane "of the nose, fauces and bronchia, along with "some inflammation affecting these parts."—Eique verisimile videbatur fluxum, unà cum perspirationis materia conjunctum, ad partes affectas affluere; nam paulo post addit—"Whether, from "the suppression of the perspiration, a catarrh be "produced merely by an increased afflux of fluids, "or whether the matter of perspiration be at the "same time, determined to the mucus glands, and "there excite a particular irritation, may be un"certain; but the latter supposition is sufficiently

"pro-

"probable."——Sed cur fluxus hicce, nunc ad articulos, nunc ad bronchias, fauces, &c. cursum tenderet? Si rem recte perpendamus, naturam in hoc casu, more solito agentem, proculdubio reperiemus; membranas, etenimem, partesque glandulis refertas, morbis inflammatoriis a frigore excitatis plerumque occupari compertum est; et ex phœnomenis, cadaverumque sectionibus, censere adducimur partes similes, sicut *bursas mucosas*, articulorumque organa quæ synoviam secernunt, et tecta musculorum aponeurotica, in rheumatismo, potissimum affici.

Perspirationis suppressione, e frigore applicato, pro causa rheumatismi, assumptâ, quinam sint hujusce suppressionis effectus, jam inquiramus.

Transmissionem materiæ non parvam, cujus a sanguine separatio ad corporis sanitatem quodammodo confert, per poros cutaneos, in valetudine fausta, semper evadere patet; exercitationique corporis, calori externo, &c. quantitatis rationem respondere. Sed frigoris applicatione, pororum aptitudo ad perspirationem transmittendam, non

tantum

tantum imminuitur, verum etiam, in ſuis vaſculis propriis ea, ſecundum corporis conditionem, plus minus occluditur. Materia hæcce, in corpus retropulſa, præter excretionis imminutæ quæ conſequuntur mala, corpus multum conturbare poteſt. Nam, a ſanguine ſemel diſcreta, extranea fit, et ab experimentis ſatis conſtat, quales morbidos effectus, in vaſculos ſanguifera admiſſa, materia talis producit. Nec acritudo, hoc modo introducta, per renes exitum invenit, quoniam per analyſin urinæ eorum qui rheumatiſmo laborant, pars tantum triceſima ſalis qui in ſana corporis conditione ſecernitur, reperta eſt *. Nonne igitur exiſtimare liceat, acritudinem hanc, proprio ſtimulo, ſufficere ad excitandam ſebrem quæ ſemper morbos inflammatorios e frigore ſuſceptos comitatur, et in articulos converſam, ad hos dolores gignendos, qui rheumatiſmum deſignant.

Rheumatiſmus, etſi dolore ſæpe acutiſſimo cruciat, vix unquam ægrotum morte mulctari invenitur,

* Philoſoph. Tranſact. abridged by Lowth, Vol. III. p. 265.

tur, nisi cum metastasis ad corporis interna contingat, aut quum, alii cuidem morbo magis periculoso conjungatur. Exempla hujusmodi occurrere, in quibus, frigus, contagiumque, conjunctis quasi viribus, rheumatismum, typhumque simul produxere; hoc quum fit, res est aleâ periculosâ plena, atque eventus non est, absque magno timore, expectandus.

CURATIO.

In morbi hujusce curatione, multa sunt auctoribus prolata remedia, at nulla, nisi experientiâ generali probata, hic recensere oportet; priusquam vero, ad has sigillatim accuratiusque tractandas descendam, pauca sunt de regimine dicenda.

Diætam vegetabilem, tenuem, datamque parcè oportet, et ab omnibus, quæ vires addere febri et inflammationis vehementiam intendere possunt, summâ curâ abstinendum est. Caro etenim, liquor spirituosus, aut etiam fermentatus, nimis stimulant,

et

et ſanguinis curſum, jam febre Bacchante, multo intenſiorem quam convenit, magis adhuc accelerant, inſtigantque. Ab omnibus ergo hujuſcemodi, et eandem ob cauſam, a calore externo nimis adaucto, etiam ſub diaphoreticorum uſu, ægrum inhibere neceſſe eſt. Ei propinentur ſæpe et libere, quæcunque diluant, ſicut aq. hord. ſerum lactis, &c. et acrimoniam, ſi eam adeſſe credere liceat, obtundant. Omnibus hiſce diligenter obſervatis, non ſolum fit mitior morbus, ſed etiam remedia, ad eum debellandum, valentiora.

Inter remidia autem, in hoc morbo præſcripta, primum locum habet ſanguinis detractio, at auctores, de quantitate quâ debet ſanguis educi, inter ſe non bene conſentiunt; monent vero omnes, qui huic medendi rationi favent, ut ſit ſtatim eductus ad primum morbi inſultum, niſi ſint, aut in habitu ægri, aut in ſymptomatis, quæ contra ſuadeant; et hoc, ſecundum rei neceſſitatem, iterandum eſſe unoquoque die ad tertium. Videtur porro magis proficere ad levandos dolores, quo ſit citius eductus. In ſanguinis autem detractione cœli, et loco-

rum

rum ratio eſt certe habenda. Nam (et notatu dignum eſt) dum medicorum Edinenſium ſagaciſſimi quidem, et exercitatiſſimi, hanc viam libere ingrediuntur, a medicorum Dublinienſium nonnullis, iiſque non parvi nominis, in hoc morbo, mos omnino rejicitur: et ab omnibus aliis, non niſi perparce, admittitur. Rei hujuſce ſum teſtis; dum etenim per duorum annorum ſpatium, in noſocomiis Dunnenſi, atque Mercerienſi, ſtudio medicinæ incubui, multi, hoc morbo laborantes, intromiſſi fuere, quorum in curatione, ne minimum ſanguinis quidem emiſſum eſt. Quantumvis maxime autem Dublinienſes a ſanguinis detractione abhorreant, adhuc magis medici Waterfordienſes, ut qui experientià edocti, quam mali effectus ſemper, ibi loci, hanc medelam ſequuntur. Ita eſt profecto, ut non in in hoc malo ſolum, verum etiam in omnibus aliis, vix ullis ſymptomatis impelluntur, ut ad eam confugiant. Cœli vitium hic merito culpatur; urbs enim Waterfordium loco uliginoſo, humilique jacet, et aëre fruitur tam nebuloſo, ut herbæ, quæ

lacubus, paludibusque sunt propriæ, in vicinorum montium cacuminibus vigentes, inveniuntur.

Fowlerus Eboraciensis, qui, in observando satis accuratus, et non parvæ experientiæ, videtur, sanguinis missionem, in auxilium melius vocari, quam ut remedium præcipium, sentit; sanguinisque igitur, ex ætate provectiore, non plus quam ab octo ad duodecem uncias, et si visum sit ut repetatur venæsectio, totam quantitatem, ad uncias viginti, et octo tantum, detrahi admonet. Iterata missio, quocunque in casu, ei vix sane arridet, nisi symptomata multum ingravescunt; opinionem enim jamdudum traditam, liberiorem nempe sanguinis missionem, vires naturæ nimis imminuendo, reditum pristinæ valetudinis tardum, aut speciem morbi chronicam inducere, unà cum aliis, amplectitur.

Remedium, attamen, hoc boni habere inter omnes convenit, quod relaxando, corpus remediis quæ mox adhibenda sunt magis accommodatum reddit. Sudorifica volo. Antequam remedia hæcce adhibeantur, stragula lintea e lecto tolli,

sub-

ſubuculamque laneam ægrum induere neceſſe eſt, ut ſudor, corpore erumpens, abſorbeatur.

Sudorificorum diverſorum præcipua ſunt, tinctura Guajaci volatilis, et pulvis ipecacuanhæ compoſitus; et quoniam, hæc parem fere vim habere videntur, nil eſt, cur alterum alteri anteponatur, niſi profecto alvus ægroti ſit tarda: in hoc caſu certe, tinctura, utpote quæ alvum leniter provocare valet, melius adhibetur; nam etſi, ob *alkali volatile* quod continet, et ab affectione faucium *pharyngiſque* inter deglutiendum, nimium ſtimulare nonnullis poteſt videri, eam autem totum corpus non ita afficere, ex obſervatione ſatis accurata, jam olim compertum eſt. Tincturâ propinatâ ad drachmas quatuor vel amplius, multum, potus calidus per horas tres quatuorve ſubinde ſumptus ad ejus vim promovendam, valet.

Quibus in caſibus profecto pulvis Ipec. comp. ſeligi debeat, natura ejus ſat ſuperque oſtendit. Ei etenim opium, ex quo partim componitur, vim ſomni conciliandi et diarrhϾ ſiſtendæ impertit; ſi

 quando

quando igitur talibus proprietatibus fuerit opus, pulverem indicari ſciemus.

Doſis ejus, ſecundum ægri habitum, quantitate quâ debet adhiberi; variatur a quindecim, ad grana uſque viginti; ſin autem, poſt intervalla brevia, eam iterare placeat, quod fortaſſe certius ad provocandos ſudores valet, tum dimidiâ quantitate ſumatur omni horâ, vel bihorio, ad tertiam vicem.

Hic obiter autem monendum eſt, quod ſudorifica melius mane quam veſpere ſubminiſtrentur; quia vaſcula, ſecretionibus dicata, interdiu magis quam noctu, ſua munera præſtant.

Ut humores ad corporis ſuperficiem tenore quodam continuo ferantur, non parvi momenti eſt, et ad hoc multum prodeſt, ſi hauſtus ſalinus, aqua ammonia acetata, et talia, ſubinde ſumpta ſint; aut, ſi, horâ decubitus, tinctura opii cum vini antimonialis guttis viginti, aut circiter, hauriatur. At ſudor erumpens non eſt plerumque generalis: omnia ergo tentanda ſunt, ut ad extremitates, præcipue affectas, eliciatur; hoc, fotuum calidorum ope, commodiſſime fit.

Re-

Remediorum topicorum præſtantiſſima ſunt hirudines, vel cucurbitulæ, nam veſicatoria, embrocationes, &c. dum febris adeſt, et dolores ſunt adhuc vagi, eos tantum a locis dimovent, non autem expellunt.

Medicamenta purgantia tam multùm ægrum conturbant, qui, motu quidem corporis minimo, dolore afficitur, ut boni effectus, qui ea comitari creduntur, minores ſunt æſtimandi, quam ut eorum uſus exoptari debeat; ne autem nimis irritatio, e collectione fœcum, ægro oriatur, clyſmata, et ea quæ ore ſumpta alvum leniter movent, ſubinde in auxilium vocari neceſſe eſt.

Quum ſit jam apyrexia, doloreſque leves cum debilitatis ſenſu tantum maneant, anodyna, quæ hactenus per ſe nocuiſſent, nunc, ſi res poſtulet, tuto et commodiſſime ſubminiſtrentur. Et ut corporis robur reſtituatur, reliquiaſque morbi natura excutere valeat, cinchona, gentiana et ex ferro præparata, ſuam opem præbebunt: nihil tamen plus ad vires reſtituendas valet, quam victûs generoſioris uſus, ad quem, ſed paulatim, redire, permittendus eſt æger.

FINIS.